

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica IV. adventus

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

DOMINICA IV. ADVENTUS.

Evangelium Ioh. 1. v. 19. 29.

EXORDIUM.

CUm olim viri Ephraim seditionem moverent adversus Jephthe, & confurgerent in prælium adversus eum, quia vadens ad pugnam contra filios Ammon eos non vocaverat & socios belli sibi adjunxerat: Jephthe vocatis ad se cunctis viris de Galaad, pugnavit contra Ephraim, percusseruntque viri Galaad Ephraim. Et quo nemo Ephraimitarum effugere posset, occupaverunt Galaaditæ vada Jordanis, per quæ Ephraim reversurus erat.

Cumque fugientes venirent dicentes: Obsecro, ut me transire permittas: dicebant eis Galaaditæ: Nunquid Ephraim es? Quo dicente, non sum, interrogabant eum: Dic ergo Schibboleth, qui respondebat, Sibboleth, & non valebat loqui sic. Statimque apprehensum jugulabant, in ipso Jordanis transitu. Et ceciderunt in illo tempore de Ephraim, quadraginta duo millia, Jud. 12. v. 1. 6.

Hanc Historiam non inconcinne applicare possumus ad statum Ecclesiæ in his terris, ubi boni & mali, sinceri & hypocritæ promiscue vivunt; licet enim omnes ore dicant, Domine, Domine, Matth. 7. v. 21. at tamen plurimi speciem saltem pietatis habent, virtutem autem ejus abnegant, 2. Tim. 3. v. 5.

Ex illis offerunt sese Simplificiæ, sive fratres ignorantia, qui de fide non multum solliciti semper discunt: sed nunquam ad agnitionem veritatis perveniunt, 2. Tim. 3. v. 7.

Occurrunt Neutralistæ, qui ex utraque parte claudicant, 1. Reg. 18. v. 21. & neque calidi neque frigidi sunt, Apoc. 3. v. 15.

Inveniuntur Equivocistæ, qui aliter loquuntur ac sentiunt, & sub verbis æquivocis venena sua occultant, & hoc ipso simplicioribus imponunt, ut à veritate inopinati abducantur, quale in Galatis exemplum habemus, Gal. 5. v. 7.

Paucissimi, prout decet, confessionem suam edunt, exemplo Joannis Baptistæ, de quo Evangelista in prælecto Evangelio: Et confessus est, & non negavit, & confessus est; quia non sum ego Christus. Hoc permagni refert. Corde enim creditur ad justitiam, ore confessio fit ad salutem, Rom. 10. v. 10.

Interea nos id ita ferre cogimur: Dominus haud dubie die novissimo separationem instituet, & neminem vada Jordanis transire sinet, qui non corde & ore credit & confitetur, quod Jesus Christus promissus mundi Messias sit, Joh. 20. v. 31.

Id hodie à Baptistâ discere debemus, qui

qui nobis hoc sine in prælectâ Pericope proponitur, ut videamus quomodo neque oblato Messîæ honore, neque amplissimis illis divitiis, quas ipsi Judæi offerebant, commotus sit, ut Judæorum sententiæ ad stipularetur, sed semper in negativâ, quod non sit, perseveravit. Id in Ecclesia Christianâ adhuc hodie ad magnam ejus gloriam prædicatur, & prædicabitur usque ad finem mundi. Quin & in adventu Domini magnâ id ei gloriæ erit. Qui enim confessus me est coram hominibus &c. Matth. 10. v. 32. 33.

Nos absque ulteriori præambulo ad ipsam Pericopen accedemus, meditaturi ex instituto:

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

JJ.

Exegesis.

ANte octiduum audivimus, quomodo Iohannes Baptista, duos ex discipulis suis ad Christum miserit, ut quærent: an esset, qui venturus est, an alium expectarent! Iam de aliâ legatione audimus, quam Pontifices Hierosolymitani ad Iohannem Baptistam in desertum ablegarunt, cum eadem quæstione, An sit qui venturus est, an alium præstolarentur? verbo: promissus mundi Messias. Quem admodum igitur Servator affirmative respondit, se illum ipsum esse: ita Iohannem negative quod non sit, respondere percipimus, ait enim: Non sum ego Christus. Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Helias es tu? & respondit: Non: sed vox clamanus in deser-

to, dirigitte viam Domini: sicut dixit Elaias Propheta.

Querela representat

1. *Pompam malignantium*, Judæi enim ad Baptistam mittunt non ex plebe homines, sed Sacerdotes & Levitas, & ex illis præstantissima haud dubie subjecta, experientia, senio, & eruditione incluta. Illi nomine Sanhedrim quærere jubentur, quis sit, & quis ei licentiam dederit, non modo in deserto docendi, sed & baptizandi, ex quâ autoritate novam hanc doctrinam profiteatur, quæ hæcenus incognita fuerit. Hoc ipso Johanni terrorem incutere volunt, ut ad animû revocet, quanti momenti res sit, & plena periculi novitati deditum esse. Quod sane Proceres Hierosolymitani non adeo impune abire sinent.

Quod si Pontificiam Ecclesiam spectamus, eamque cum Judaicâ, qualis tempore Christi erat, comparamus: non magnum discrimen intererit, imprimis, quod externam pompam concernit.

Illi confidebant in Hierosolymorum urbe, clamantes: Templum Domini, templum Domini, Jer. 7. v. 4. Ita Pontificii semper ostentant Ecclesiam Romanam Catholicam, nobisque persuasum eunt, quod errare nequeat. Verum experientia contrarium probat. Virginem enim illam quæ Pauli tempore Romæ fuit, nunc vitiatam esse vel ex ipsa ad Romanos Epistolâ patet, ut non immerito exclames: Quomodo facta est meretrix civitas fidelis? Ela. 1. v. 21. ideo vana Ecclesiæ Romano-Catholicæ ostentatio est, quia à Doctrina Pauli declinavit. *Non valet in Ecclesia loci, sed doctrina & veritatis successio*, inquit Tertullianus, Ioh. 8, v. 31.

d 2

illi

Illi confidebant in multitudine & Procerum applausu. Ibi enim domicilium suum habebat Pontifex maximus, ut & Synedrium constans ex septuaginta Personis do domo Davidis: erant quoque ibidem quadringenti & triginta collegia, Professoribus & viris eruditis optime instructi, ideoque ad Iohannem non unum atque alterum, sed ex omni ordine aliquos ablegant, qui autoritate sua Iohanni glaucoma objiciant, ut se ad eorum nutum componat.

Quid familiarius Pontificiis hodie est, quam ut in multitudine confidant, & hoc ipso simplicioribus palpum obtudant? Quoties Ecclesiam Catholicam per totum Orbem dilatata jactant? Quoties Imperatorem Romanum, tot Reges, Principes, Episcopos, Prælatos, Monachorum & Canoniorum Collegia prædicant? quorum respectu nos quasi stillam situlæ, Esa. 40. v. 15. lampadem contemtam, Iob. 12. v. 15. & quasi tuguriolum, in quo pernoctant in cucumerariis hortis, Esa. 1. v. 8. æstimant.

Id nos minus offendere debet: Multitudo enim errantium, non parit errori patrocinium. Deus novit, qui sint sui, 2. Tim. 2. v. 19. Si ex multitudine Ecclesia vera censenda esset, ubi tempore diluvii, quo vix octo animæ servabantur, Gen. 6. v. 18. item tempore Abrahami, Gen. 11. v. 31. in deserto, Exod. 32. v. 15. tempore Eliæ, 1. Reg. 18. v. 18. fuisset? Iccirco neminem id terreat. Impii semper numerum piorum exsuperant. Matth. 7. v. 13.

Cum Imperator Constantinus Liberio Episcopo solitudinem objiceret dicens: Quota pars tu es Orbis terrarum? Respon-

dit ille: Mea solitudine non minuitur verbum fidei. Hæc tua consolatio esto, mi Christiane! quando vespera tibi ingruere videtur, Luc. 24. v. 29. Sancti defecerunt, Psal. 12. v. 2. Apostasia magna est, 1. Tim. 4. v. 1. In uno & altero potest esse Ecclesia, Tertulliano asserente. Ubi duo vel tres, &c. Matth. 18. v. 20.

Imprimis verbi Præcones caveant sibi, ne autoritate filiorum seculi hujus commoveantur, ut in officio suo remissius agant. Hic sanctuarium & domus Regni est, dicebat Amasia ad Amos, Amos. 7. v. 13. Non mihi loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, aiebat Pilatus ad Christum, Ioh. 19. v. 10. Hæc tuba adhuc hodie mundus verbi ministros terrere solet. Verum confidite fratres! Mundus transit & concupiscentia ejus, 1. Ioh. 2. v. 17. Magis obediendum est Deo, quam hominibus, Act. 5. v. 79.

2. *Torporem ositantium.* Patriarcha Iacobus signum constituerat, si sceptrum de Iuda ablatum esset, Messiam brevi adventurum esse, Gen. 49. v. 10. Daniel adhuc clarius tempus innuerat, Dan. 9. v. 24.

Atqui sceptrum jam tum ablatum erat, septuaginta quoque hebdomades nunc præterfluxerant, ideo ad Baptistam in desertum mittunt, & quia ex matre effectâ, & vetulâ, prædicente Gabriele Archangelo conceptus & natus erat, & parce & duriter vitam agens de promisso Messiam non modo docebat, sed & multis inculcabat, cum jam præforibus, imo in medio eorum esse: novumque baptismi ritum inchoare, qui hætenus in populo Iudaico minus usitatus fuerat, quæsitum ad eum abe-

abeunt, an fortè Messias sit? Verùm hoc ipso oscitantiam suam clarè produnt. Meritò enim ex Scriptura nosse debuissent, Messiam nascendum fore, non ex Tribu Levi, sed è Tribu Juda, Gen. 49. v. 8. seqq. non ex vetula, sed ex virgine, Esa. 7. v. 14. non Hierosolymis sed Bethlehem, Mich. 5. v. 2. scire quoque debuissent, Messiam non Johannem, sed Emanuelem vocatum iri, Esa. 7. v. 14. multisque miraculis officium suum probaturum, Esa. 35. v. 5. 6. quale quid Johannes non fecit, Joh. 10. v. 41.

Videmus hinc Concilia autoritate & eruditione præstantium errare posse, & sæpè toto cælo errasse. Certè filii viri sunt mendacium, Psal. 62. v. 10.

Sic mendaces inventi sunt quadringenti illi Prophetæ, quos Rex Achab convocavit, solo Michâ verum loquente, 1. Reg. 22. v. 6. & 17.

Esaïas totum Sacerdotum Collegium speculatores cæcos & canes mutos appellat. Esa. 56. v. 10.

Nonne insulsus error, quod Pontifices & Scribæ in Concilio suo Christum innocenter in ligno suspenderunt, crucifixerunt & occiderunt? Act. 10. v. 39.

Sic ex experientia nimium constat, Pontifices Romanos in Conciliis suis multifariam errasse.

Concilium Neocæsarense sub Leone IV. celebratum, prohibet nuptias secundas, contra effatum Pauli, 1. Cor. 7. v. 30.

Concilium Constantinopolitanum imagines venerandas & adorandas esse jubet, contra Dei interdictum, Exod. 20. v. 4.

Concilium Carthaginense ab hæreticis baptizatos rebaptizandos esse vult, contra expressam Pauli sententiam: Dei dona sunt ἀμιτάριλτα, Rom. 11. v. 29.

Concilium Constantiense, laicis usum calicis interdixit, contra institutionem Christi, Matth. 26. v. 28. Marc. 14. v. 23. Luc. 22. v. 20. 1. Cor. 11. v. 25.

Concilium Tridentinum cumulum errorum in Ecclesiam introduxit, quod ex ipsis eorum definitionibus constat.

Caveamus, ne per hominum hæc decreta à veritate abducamur. Christus est via, veritas & vita, Joh. 14. v. 6. hanc amplectimini, non declinantes neque ad dexteram neque ad sinistram, Esa. 30. v. 1. Gal. 6. v. 16.

III. *Furorem expostulantium.* Quodsi, ajunt, neque Christus, neque Elias, neque Propheta es, quid ergò baptizas? q. d. quis tibi id mandavit, an nescis Synedrio Hierosolymitano inspectionem deberi? Certè non impunè id feceris: ita certè Procetes nostri te excipient, ut alii exemplo tuo edocti, cautius mercari discant.

Hinc ideam omnium hæreticorum & Pseudo-Prophezarum habemus, qui principiò per humanos se simulant, aureos mōtes pollicitantes illis, quos ad partes suas pertrahere satagunt; quando verò ad Exemplum Baptistæ constantes manent, omnis favor cessat, & quaeritur jus in armis, quod blandis verbis obtineri non poterat. Id à patre Diaboli didicerunt, qui non modò velut mendax ab initio fistula dulce canere novit: sed & homicida est, Joh. 8. v. 44.

Tales minæ à semel agnita veritate abire nos non debent. Exempla constantiæ sunt, socii Danielis, Dan. 3. v. 17. Septem fratres cum matre sua, 2. Macc. 7. v. 2. seqq. Ut & matrona illa opulenta, de qua Basilius refert, quod minis tyrannorū responderit: Valeat vita, pereat pecunia, famula Christi sum. Sic esto fidelis usque

ad mortem, & reportabis coronam vitæ,
Apoc. 2. v. 10. Dic cum Ecclesia:

Verbum perennat firmiter,
Ingratiis ipsorum,
Est ipse nobis jugiter,
Cum gratia donorum:
Si corpus occidunt,
Et omnia rapiunt,
Omitte tu lætus
Est quæstus his nullus
Regni Dei tu certus.

Rex Navarra sponsæ suæ arrham donabat anulum, pretiosissimo Adamante insignitum, in quò Sol & Luna sculpta erant, his verbis in circumferentia adjectis: Semel, simul, semper.

Christus cœlestis noster sponsus est, qui nobis se desponsavit, Os. 2. v. 19. idè similem amorem & fidem à nobis exigit, ut stipulationem bonæ conscientia, quam cum eo in baptisino semel fecimus, 1. Petr. 3. v. 11. non malitiose violemus, sed firmiter servemus, servientes ei in justitia & sanctitate eoràm ipso, omnibus diebus vitæ nostræ, Luc. 1. v. 75. qui enim perseveraverit usque in finem, hinc salvus erit, Matth. 10. v. 22.

De Secundo.

Sequitur nunc *Medula*, quæ derivatur
1. Ex *Baptismi efficacità*. Non enim ibi mera aqua est, sed aqua verbo Dei inclusa, hæc pars præcipua & essentialis est, quæ aqua sanctificatur, ut sit lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti, Tit. 3. v. 5. idè dicit Baptista: Ego baptizo in aqua; medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis: ipse est, qui post me venit, qui ante me fuit.

Hæc verba non Judæis modò, sed no-

bis quoque dicta putemus: imprimis verò verbi ministri, qui Johannis munus in Ecclesiâ obeunt, auditores suos ita alloquantur: Ego indignus Ecclesiæ minister puerulos vestros in aqua baptizo: hoc opus quasi humanum spectatis: verum Servator in medio nostrum est, eosque Spiritu sancto baptizat.

Ocellus, ut fit, adspicit,
Effusio liquoris;

Sed Spiritu vim percipit
Christi fides cruoris:

Fluenta sanguinis rubra
Videntur hæc tuente,
Quæ cuncta sanant vulnera,
Accepta de parente,
Et quolibet patrante.

Et porro:

Audite nunc, perpendite,
Baptismus ut vocetur,
Quid Christianus credere
Ut hæresis vitetur:

Adesse vult aquam Deus,
Ast non aquam vult meram,
Vult adsit ut sermo suus
Spirans medelam plenam,
Is hinc agit baptistam.

Hinc baptismi virtus est, ut operetur remissionem peccatorum, liberet à morte & Diabolo, & largiatur salutem æternam omnibus qui id credunt, sicut verba & promissiones Dei sonant. Qui enim crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur, Marc. 16. v. 16.

Nos semper baptismi fœdus meminimus, hæc enim consolatio nostra in omnibus adversitatibus est, quod nomina nostra in cœlo scripta sunt, Luc. 10. v. 20. quod fit
in

in baptismo, ubi nova nomina accipimus, ut non amplius vocemur filii iræ, Eph. 2. v. 3. sed filii Dei & cohæredes Christi, Rom. 8. v. 16. 17.

Imperator Augustus moriturus, conjugem suam Liviam osculatus est, dicens: Livia nostri conjugii memor vive & vale!

Quod si igitur jucundum est, quod conjuges sibi invicem fidelitatem in conjugio præstant: quare magis nostri officii erit, ut cælesti sponso nostro fidem exhibeamus, semper fœdus reminiscens, quod cum eo in baptismo pepigimus. Non obliviscaris mei Israel, ait ipse, Esa. 44. v. 21. Respondeamus igitur: Si oblitus fuero tui Jesu, oblivioni detur, dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus, Psal. 37. v. 5. 6.

II. *Ex Christi in medio stantis gratiâ.* Stat enim in medio, ut indicet, esse se Mediatorem Dei & hominum, 1. Tim. 2. v. 5.

Propheta V. T. multa de Christo prædixerunt, & Auditoribus suis promiserunt, quod certò venturus sit: sed Johannes eum venisse, & medium inter nos itate confirmat, quem Patriarchæ, Reges & Prophetae anxio desiderio expectarunt.

Nobis adhuc hodie consolationi id est. Licet enim eo modo hodiè nobiscum non sit, quo tùm cum Judæis versabatur: attamen pergit ille ambulare in medio septem candelabrorum aureorum, Apoc. 1. v. 13. Matth. 18. v. 20.

Moses fuit Mediator inter Deum & Israelitas, cum lex in monte Sina promulgaretur, Gal. 3. v. 19. Sic Christus Mediator novi testamenti est, Hebr. 9. v. 15. qui quæ in cælis & in terris sunt, reconciliavit, pacificans per sanguinem crucis per seipsum, Col. 1. v. 20.

Quemadmodum enim Mediator plerumque damnum pro præmio reportat: sic & noster Mediator multa nostri causa perpeffus est, quin & cruci affixus, inter maleficos numeratus est, Esa. 53. v. 1. Matt. 27. v. 38.

Agnoscamus igitur ardentissimum ejus in nos amorem, dicentes cum pio Monacho Hiltenio, Henaci innocenter incarcerato, cum sacram Cœnam perciperet: O Domine Jesu, tu venis ad me, & ego deberem venire ad te. Jam pleni fiducia dicere possumus: Justificari fide pacem habemus cum Deo, Rom. 6. v. 1.

Quando igitur, mi Christiane! esse cogaris veluti in medio luporum, Matth. 10. v. 16. juxta illud: *Mitten wir im Leben sind mit dem Tod umfangen / Mitten in dem Todt ansicht uns der Hölle Rachen. Mitten in der Hölle Angst unsre Sünd uns treiben;* consolari nos possumus, quod Christus nobiscum sit, cum Davide dicentes: Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me, Psal. 138. v. 7.

Caveamus modò, ne Judæorum vestigiis insistamus, qui Christum agnoscere nolebant, ut in medio eorum consisteret, aliàs exhibit de templo, Joh. 8. v. ult. & tandem cum virginibus fatuis alloqueretur nos: Non novivos, Matt. 25. v. 12.

III. *Ex legitima vocationis gloriâ.* Ubi enim in responso ejus, quod neque Christus, neque Elias, neque Propheta sit, acquiescere nolunt, sed interrogare pergunt: Quis es, ut responsum demus his, qui miserunt nos? respondet ille ex cap. 45. v. 3. Esaiæ: Ego vox clamantis in deserto: dirigite viam Domini.

Hic audim⁹, quomodo Baptista vocatione sua

sua

sua fulciatur, omnibus exemplum præbens, ne seiplos ingerant, sed vocationem suam expectent. Nemo sibi ipsi sumit honorem: sed qui vocatur à Deo, tanquam & Aaron, Hebr. 5. v. 4.

Ante porticum templi Salomonis statuta erant duæ columnæ, quæ vocabantur Jachin, & Booz, 1. Reg. 7. v. 21, hoc ipso præfiguratum est, quemlibet verbi Præconem inter duas quasi columnas in templum intrare debere, ex unâ parte se confirmans verbo divino, quod prædicat: ex altera parte, vocatione sua, si fortè res adversæ & tentationes exsurgant: secus animam suam justificare non poterit; & quis honorificabit exhonorentem animam suam? Sir. 10. v. 32. *Non fortunat Deus labores eorum, qui non sunt vocati, & quanquam salutaria quadam asserant, tamen nihil adificiant,* scribit B. Lutherus: Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur, Rom. 10. v. 15.

Legati Magnatum & Principum ex instructione eorundem, non quod sibi commodum videtur, loqui tenentur: Ita verbi Præcones pro Christo legationem funguntur, 1. Cor. 5. v. 20. ideo instructionem suam observantes, si quid loquantur, quasi sermones Dei loquantur, 1. Petr. 4. v. 11. non addentes quicquam, nec detrahentes, Deut. 4. v. 2. h. e. non aliud prædicent Evangelium, quàm quod Apostoli prædicarunt, Gal. 1. v. 13. sed fideliter custodiant Scripturæ depositum, 2. Tim. 1. v. 14.

Hoc si fecerint, potentissimum defensorum habent, qui enim illos tangit, pupillam oculi ejus tangit,

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, quarum

1. *Confessionem ede.* Hæc in re Baptista nobis exemplo suo laudabili prævit: Confessus est enim & non negavit, & confessus est, quia non sum ego Christus. Id ipsa necessitas efflagitat. Credidi propter quod locutus sum, Plal. 116. v. 10.

Quod si fidei confessionem rectè edere velimus, fiat necesse est exemplo Joannis,

1. *Intrepidè.* 1. Petr. 3. v. 13. 14. Sir. 4. v. 33.

2. *Bibliè.* Johannes mediante testimonio Scripturæ & quidem dicto Esaia confessionem suam edidit, cap. 40. v. 3.

Idem fecit Paulus coram Rege Agrippa, Act. 26. v. 22. Hæc via tutissima est. Qui piam doctrinam rectè custodierint, seu observaverint, Sancti reputabuntur, Sap. 6. 11.

3. *Candidè,* sine omni æquivocatione. Johannes sub nomine Elia & Prophetæ latere potuisset, quia ipse Christus eum Prophetam appellat, Matth. 11. v. 9. 14. & Archangelus Gabriel ex Mal. 4. v. 5. eum ita descriplerat, quod in spiritu & virtute Helia præcessurus sit Messiam, Luc. 1. v. 17. sed quia Judæos sinistrè id intelligere animadvertibat, & pro Elia Thesbite eum habebant, quem reversurum & visibiler in terris versaturum opinabantur, rotundè confitetur iniquis: Non sum Elias, neque Propheta.

Ita & nos ingenuè profiteamur oportet, ut sermo noster, est est, non non sit, quod autem his abundantius est, à malo est, Matth. 5. v. 37. & pertinet ad nequitiam hominum & astutiam, ad circumventionem erroris, Eph. 4. v. 14.

4. *Integrè*, Omnes enim fidei articuli quasi concatenati sunt, quorum nullum, salvâ manente conscientia reticere possumus, hinc Jac. 2. v. 10,

5. *Firmè*. Ne deterreri nos patiamur, sed veritatem liberè profiteamur, quæ magna est, & prævalet, 3. Esdr. 4. v. 41.

En! hoc modo confessionem nostram instigare tenemur, si gratiam DEI in cælo conservare velimus: Qui enim ex utraque parte claudicat, ut Israëlita tempore Eliæ, 1. Reg. 18. v. 11. aut nec calidus nec frigidus est, eum Dominus evomer ex ore suo, Apoc. 3. v. 16.

Judas confessorem notat. Sed quid fecit? Accepit triginta argenteos, & ita Dominum & Magistrum suum prodidit, Matth. 26. v. 15. Hoc idem faciunt hypocritæ, nominetenus Confessores sunt: sed interea accipiunt argenteos proditorios, nempe ut Hugo id explicavit: decem à concupiscentia oculorum, decem à concupiscentiâ carnis, & decem à superbia vitæ, 1. Joh. 2. v. 16. idèò cautius agamus necesse est, ardentè ad Deum orantes:

Verbum tuum fatebor,

In orbe pessimo,

Minister appellabor,

Petia non vito.

Fac veritati nunquam

Renunciare me,

Nec excidam fac unquam

A Christiana spe.

II. *Viam Domini dirige*. Id quidem propriè Baptistæ munus fuit, sed adhuc hodie ad Christianos quoque pertinet, ut & illi debito modo Christo viam parent, si eum apud se diverti & habitationem facere velint. Non enim introibit in malevolam ani-

mam, nec habitabit in corpore peccatis subdito, Sam. 1. v. 4.

Id fieri necesse est per seriam pœnitentiam. Nos hic in deserto habitamus, ubi montes & valles, stipites & saxa occurrunt, idèò remotione & purificatione opus est, si Rex gloriæ ad nos intrare debeat, Ps. 24. 7.

Per montes intelligitur superbia & præsumptio. Quem admodum enim illi, præ aliâ terra eminent: ita & elati palmam aliis præripere satagunt. Posuerunt in cælo os suum, & lingua eorum transivit in terra, Psal. 73. v. 9. verùm Deus abominatur tales, idèò humiliemur sub potenti manu Dei, nolentes invitos trahit, oculos superbiorum humiliat, Psal. 18. v. 28.

Valles norant spirituales tentationes, quibus animus angitur, ut preces ex profundis prodeant, Psal. 130. Has valles solario repleri oportet, juxta Dei mandatum, Esa. 40. v. 1. 2. Has consolationes auditores suscipiant, sicut terra venientem super se bibit imbrem, Hebr. 6. v. 7. Deoque debitas gratias agant, ut David, Psal. 119. v. 92.

Stipites & lapides sunt varia scandala, quæ removenda sunt, ut non modò ipsi innocenter vivamus, sed & à mundo nos immaculatos custodiamus, Jac. 1. v. 27. Sir. 13. v. 1.

O dilecti! valdè oportunitum est, sententiam peccatorum exhaurire: inveniuntur in impiis magni peccatorum montes, qui secundum duritiam & impœnitens cor thesaurizant sibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei, Rom. 2. v. 5.

Offerunt se quoque profundi colles in fidelibus, qui sæpè arescunt præ timore & expectatione eorum, quæ supervenient universò Orbi, Luc. 21. v. 26.

Offenduntur quoque stipites & saxa scandalorum, mundus enim totus in malo ligno est positus. 1. Joh. 5. v. 19. Sap. 4. v. 12.

Quisquis igitur potest, removeat, abjiciat, & amoliat offendicula, & iter faciat ei, qui vehitur cum suavitate; Dominus nomen illi, Psal. 68. v. 5.

III. *Teipsum despicere.* Johannis Baptista insignis, sanctus & excellens vir fuit, de quo tunc Esaias, tunc Malachias in V. T. prædixerunt, Esa. 40. v. 3. Mal. 3. v. 1. Archangelus Gabriel nativitatem ejus annuntiaverat, quod ex Zacharia & Elisabetha senibus & effætis nascendus foret, Luc. 1. v. 23. ipse egregiis donis à Deo ornatus, vitam duram agebat, unde quilibet ferè in opinione erat, ipsum Messiam esse: præterea ipse Christus præclaro hoc testimonio eum ornaverat, quod plus esset, quàm Propheta, imò maximus inter natos mulierum, Matth. 17. v. 9. 11. Verùm propterea non effertur, sed ex modesta animi humilitate ad pedes Christi se dejicit, non dignum se asserens, qui solvat corrigiam calceamenti ejus.

Hoc exemplum omnes, quos Deus super alios evertit, & præclaris donis ornavit,

intuerti debent, ne arrogantiùs de se sentiãt, quàm oportet, Rom. 12. v. 3. Sir. 3. v. 19. 20.

Cum Moses descenderet de monte Sinai, & experiretur, quod splenderet cutis faciei suæ, velamen posuit super faciem suam, Exod. 34. v. 29. Quod si talibus à Deo instructus es donis, quæ splendorem de se præbent, quæ alios in admirationem rapiunt, noli propterea superbiere: sed velamine humilitatis contege te, & alios superiores teipso arbitrare, Phil. 2. v. 3. Si humilis es, quisquis es, magnus es. Fluenta gratiæ deorsum, non sursum fluunt. Qui vilis sibi, Deo magnus, qui sibi placet, Deo displicet. 1. Petr. 5. v. 5.

Exempla humilitatis exaltatæ sunt, Ruth, Ruth. 2. v. 13. David, 1. Sam. 16. v. 12. Esther, c. 2. v. 15.

Semper igitur humilitatem vobis commẽdatam habeatis. Cogitas magnam constituere fabricam celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis, ait Augustinus. Humilem spiritu suscipiet gloria, Prov. 29. v. 23. nempe Regnum decoris & diadema speciei, Sap. 5. v. 17. Id nobis Deus largiatur, per & propter Christum, Amen.

IN FESTO NATIVITATIS CHRISTI.

Evangelium Luc. 2. v. 1 - 15.

EXORDIUM.

TRia saltem exempla in sacris occurrunt, quæ Magnatum Natales solenniter celebratas, memorant; qui tamẽ aliis parùm gaudii attulerunt, sed potiùs in luctum & squalorẽ eosdem conjeecerunt.

Cum enim Pharaon Natalem diem ageret, pistorum princeps vita privatus & in pa-

tibulo suspensus est, Genes. 40. vers. 22. Antiochus quoque Syriæ Rex, in die Natalis sui Judæis multa mala intulit, eosdemque cum amarâ necessitate ad sacrificia gentilium duxit, 2. Maec. 6. v. 7.

Quantæ Herodes Rex Tragediæ autor fuerit Natali suo, id Johannes Baptista, qui instin-

inftinctu Herodiadis in carcere decollatus eft, comperit, Matth. 14. v. 8. feq.

Aft hodie Vos mei! Natalem Regis Regum & Domini Dominantiũ celebramus: qui quidem Diabolis in inferno terribilis & nocivus: nobis verò hominibus plenus folatii & lætabilis eft. Nam Filius hominis nõ venit animas perdere, fed falvare, Luc. 9. 56.

Agite Dilecti! gratia magna eft, quæ hac die omnibus hominibus apparuit, Tit. 2. 11. idcirco absq; ulteriori præambulo vifurifumus

I. Triplicem Querelam.

II. Triplicem Medelam.

III. Triplicem Cautelam. JJ.

Exegefis.

Vetus & tritũ Proverbium eft: *Quando duplicantur lateres, venit Moſes.* Eadem rerum facies fuit, ubi Servator noſter natus eft: Sceptrum de Judã ablatum erat, ut Jacob prædixerat, Gen. 49. 10. h. e. Judæi nõ proprio gaudebant Rege, fed ſub imperio Rom. Imper. erant, qui Cyrenium ſive Quirinium Præſidem, & Herodem Tetrarchã conſtituerat, quibus loco Cæſaris ſubjecti eſſe cogebantur: hinc Evãgelifta in ipſo Evangelii exordio: Exiit edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus orbis,

Quærela proponit

I. *Cæſaream Orbis deſcriptionem*, ab Auguſto factam. Magnã enim potentiã ille valebat, qui Aſiam, Arabiam, Indiam, Italiam, Hiſpaniam, Græciam, Perſiam, & alias Provincias ſibi ſubjugarat, ubiq; milites præſidiarios habuit, qui magnos ſumptos requirebant, & quia univerſo Imperio in emolumentum ceſſit, indicto cenſu, ſingulorum auxilia requiſivit.

Hoc quidem non ſimpliciter improbandum eſt, ſiquidẽ Magiſtratui non illicitum,

veſtigalia & tributa ſubditis imponere, juxta illud: Cui tributum, tributũ, Rom. 13. 7. Verũ moderamen tamen adhibendum, ne ita oves tondeant, ut easdem ſimul deglubant: Panis egentium, vita pauperum eſt; qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt, Sir. 34. v. 25.

Cæſar Auguſtus hanc deſcriptionem incepit, prima enim erat: Sed nec ultima eadem fuit, quin potius ita continuatum eſt, magisque exaggeratum: ſiquidem Nero omnem lapidem movit, ne cui quid ſuper-eſſet. Veſpaſianus quoque de Cloacis veſtigal exegit, & Tito filio id ei exprobrante quod eſſet lucrum ſordidum, pecuniam inde corraſum natibus ejus admovit, dicens: Lucri bonus odor ex te quãlibet.

Idem hodiè tenus evenire amat. Quando enim Magnates exactionibus delectantur, facile inveniuntur, qui oleum igni infundant, & media, quibus ſubditi argento emungantur, ſuppeditant. Exemplum legimus, 1. Macc. 10. v. 29. ubi variæ tributorũ ſpecies deſcribuntur. Mentio enim ibi fit 1. tributorum, 2. pretii ſalis, 3. coronarum, 4. tertiarum ſeminis, 5. dimidiæ partis fructus ligni, 6. decimarum, Ita & hodiè exactionum hujusmodi modus ferè nullus eſt, ubi ſemper alter alterum, cupiditate lucri incenſus, exſuperare geſtit. Sed & maledictio juſta conſequitur, ut ex iniquis hiſce uſuris, tenue lucrum ad exactores hujusmodi perveniat, Mal. 3. v. 5. Hinc graviter conqueritur Deus: Audite Principes Jacob &c. Mich. 3. v. 1. ſeqq.

II. *Davidicæ ſtirpis exinanitionem*, quæ ex priſtino ſplendore dejecta ad Joſephum fabrum lignarium, & Mariam inopem ancillam, tempore Auguſti Cæſaris deve-

nerat, cujufmodi mutationi adhuc hodie generofæ familiæ obnoxia funt, juxta illud: Generatio præterit, & generatio advenit, Ecclef. 1. v. 4. Id Nabuchodonofori oftenfum fuit in magna illâ & fplendida ftatuâ, cujus caput ex auro optimo erat; pectus autem & brachia, de argento: porro venter & femora ex ære: tibiæ autem ferreæ: pedum autem quædam pars ferrea, quædam autem fictilis fuit; qua quatuor Monarchiæ, quæ fe mutuo confecluræ erant, adumbrabantur, Dan. 2. v. 32. Regno enim Babylonico ad finem perducto, fucceffit Regnum Perfærum, hoc terminum fuum confeclum, feclum efl Regnum Græcorum, à quo ad Romanos devolutum efl; quod adhuc hodie perennat. Verum penes nullam certam familiam continuè manfit, fed miras viciffitudines fubiit, & ab una familia ad alteram tranfit.

De prifcis Teutonum Regibus nihil memorabimus, fed tantùm à Carolo M. incipiemus, cujus pofteritas Imperatoriam Majeflategem poffedit, centum & decem annos, & decem menses. Tum genus hoc defuit, & incepit Dynafllia Saxonum, penes quos manfit nonaginta novem annis & duobus menfibus. Hanc excepit Dynafllia Francorum, penes quos duravit centum & feptem annis. Succellit Dynafllia Suevorum, quos comitata efl centum & undecim annos, & quinque menses. Secuta efl Dynafllia Lüzelburgiorum, penes quos fuit octoginta quinque annis, & 8. menfibus. Ab hac translata efl ad Genus Palatinorum & Bavarorum, quibuscū manfit fehexaginta fehex annis & quinq; menfibus. Tandem fucceffit Dynafllia Archiducum Auftriæ, penes quos, quamdiu Deo collibuerit, pereñabit.

Similia fata & alia Regna, Ducatus, Principatus, Comitatus, nobilium & alia præcellentia Genera fubierunt, quæ etfi ab aliquot feculis genus fuum derivare poffunt, tamen terminum fatalem tandem confecluta, deflerunt, ubi ex adverfo alia humili loco orta, illis fuccefferunt. Exempla paffim obviam funt, ut non immeritò Ecclefiafles conqueratur: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, c. 1. v. 2.

In Comædia diflincti occurrunt actus, in quolibet actu diverfæ perfonæ fe exhibent, quæ quando munus fuum obierunt, abfeclunt ipfi, quibus alii fuccedunt, & his iterum alii, dum Comædia acta efl, tum omnis pompa ceffat, quali nunquam fuiffet, & dicitur: Valetè & plaudite.

Sic fe res habet cum mundo, & præcipuis familiis, quæ in mundo degunt, quando aliquamdiu fabulæ interfuerunt, & perfonam fuam præfentarunt, per mortem difcedere coguntur; his alii fuccedunt, qui aliquantisper fe ad confpiciendum & audiendum exhibent, hi quando actum fuum abfolverunt, & ipfi abeunt, & hæc fabula tamdiu agit, donec præterit figura hujus mundi, 1. Cor. 7. v. 31. Hinc Imperator Augufllus, poftquam Imperio quinquaginta annos cum laude præfuiffet, diem fuum obiturus, his verbis valedixiffe dicitur: Annon perfonam meam, in hac mundi fabula fati commodè egiffe videor? Valetè ergo & plaudite.

Hæc eò collineant, ne ob generis vetufllatem & nobilitatem nos efferamus, aliofque defpiciamus, ex uno enim fanguine omne genus hominum, Act. 17. v. 26. & brevi prætereunt, quando terminum à Deo præfinitum confecluti funt.

Ima

Ima permutat brevis hora sum-
mis,
Quem dies vidit veniens super-
bum,
Hunc dies vidit veniens jacen-
tem.

Optimum erit, si pietati nos consecremus,
quæ sola permanet, & nomine æterno hæ-
reditat, Sir. 5. v. 6.

Transivere patres, transibimus,
ibitis, ibunt,
In cælo patriam, qui bene transir,
habet.

Ibi nos Christus ad amplissimas dignita-
tes evehet, & Reges atque Sacerdotes
DEO & Patri suo faciet, Apoc. 1. v. 6.

3. Miseram nati Christi conditionem.

Cum enim impleti essent dies, ut pareret
Maria, ecce! locus non erat in diversorio,
sed stabulum erat habitaculum ejus, ubi
Servatorem mundi in præsepio reclinare
tenebatur.

Hoc miseræ speculum, in quo cerni-
mus, quomodo Christus ab iplis incuna-
bulis ærumnis subjectus fuerit.

Erat ipse Deus super omnia benedictus
in secula, Rom. 9. v. 5. *cujus patria est extra
omnem Creaturam*, ut Bernhardus ait, *cujus
egressus ab initio à diebus æternitatis*,
Mich. 1. v. 2. cui Pater cœlestis dedit gen-
tes hereditatem, & possessionem terminos
terræ, Pl. 2. v. 8.

Attamen adeo exinanivit se in nativitate
sua, ut in oppido Bethlehem nasci voluerit,
quod parvulum erat in millibus Judæ,
Mich. 5. v. 2.

Erat ipse unigenitus Dei Filius, Joh. 1.

v. 18. Dei proprius Filius, Rom. 8. v. 32. Dei
dilectus Filius Matth. 3. v. 17. splendor glo-
riæ & character substantiæ ejus, Ebr. 1. v. 3.
nihilominus adeo inops factus, ut Mariam
humilem illam ancillam, qualem ipsa pro-
fitetur se, elegerit desponsatam Josepho, fa-
bro lignario, Matt. 1. v. 28. unde & ipse fa-
ber dicitur.

Erat Rex Regum & Dominus Domi-
nantium, Act. 17. v. 16. qui adhuc ho-
die omnia portat verbo virtutis suæ,
Hebr. 1. v. 3. attamen adeo pauper factus,
ut nullum locum in diversorio habuerit, sed
in stabulo & præsepio requieverit, hinc
Ecclesia:

Jesu Creator omnium!
Dum sis salus mortalium,
Duro recumbis stramine,
Afella edit quod cum bove.
Licet sit Orbis amplior,
Gemmis & auro ornatior,
Non te capit magnum Deum,
Ut arctius cunabulum.
Byssi loco, atque serici.
Fœnum, involucri lectuli,
Quis magne Rex, mirabilis
Superbis, ut sinu patris,
Attrisit hocce sic tibi,
Ostenderes quo tu mihi,
Quod pompa mundi & gloria
Abjecta sint crepundia.

Erat Angelorum Dominus, qui quoque
Gloria in Excelsis ei accinunt, attamen ra-
tione hominum adeo abjectus est, ut nemo
de ipso sollicitus sit. Non habet Maria
famulam, non obstetricem, sed ipsa pueru-
lum pannis involvit, & in præsepio reclina-
vit. Nec postea ipsi quisquam servivit,

e 3 nisi

nifi abjecti Paftores, qui ab Angelis eo mif-
fi funt.

Hoc exemplum humilitatis eft, quam à
Chrifto difcere nos oportet, Matth. 11. v.
29. *Quid præfepe aliud fuit, quam cathedra
Chrifti, ex qua humilitatem nobis commendavit,*
ait Auguftinus. Proinde erubefce fu-
perbe cinis, Deus fe humiliat, & tu
te exaltabis, ait Bernhardus, 1. Petr.
5. v. 6.

Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit
1. *Ex indiciorum cumulo*, Ex qui-
bus certo perfpicimus, Chriftum promif-
fum mundi Meffiam effe. Id ostendi-
tur nobis in prælecto Evangelio, in quo
Evangelifta circumftantias narrat, quæ
circa nativitatem Chrifti observanda hæc
funt:

1. *Tempus*. Meffias venturus erat, fee-
ptro de Judæa ablato, ut Jacobus prædixe-
rat, Gen. 49. v. 10. quod & factum eft: e-
rant enim Judæi, cum Chriftus nafceretur,
fub Dominio Augufti Romani Imperatoris
qui & cenfum illis indixit, hinc ipsi co-
ram Pilato confitentur: Non habemus Re-
gem, nifi Cæfarem, Ioh. 19. v. 15.

2. *Locus*. Meffias nafciturus erat in
oppidulo Bethlechem, ut Micha du-
dum prædixerat, cap. 5. verf. 2. hoc iti-
dem impletum, ut Evangelium noftrum
indicat.

Hoc vero non fine caufa factum: Beth-
lechem enim interpretative eft domus pa-
nis, ideoque æquum fuit, ut panis vitæ, qui
de cælo descendit, ut daret vitam mundo,
ibi nafceretur, Ioh. 6. v. 33, maxime, quia

prædictum, quod ex hoc oppido Dux vitæ
oriundas effet, Mich. 5. v. 2.

3. *Genus*. Meffias futurus erat germen
Davidis, Ieremias 23. verf. 5. furculus ex ra-
dice Ifai, Efaías 11. verf. 1. Filius Davidis,
2. Samuel. 7. verf. 12. Filius virginis,
& ita femina mulieris, non femina viri, Efa.
7. v. 4. Gen. 3. v. 15. Supra communem na-
turæ curfum, modo novo & infveto, Ier.
31. v. 22.

Utrumque in Chrifto ita impletum.
Natus enim eft ex femine Davidis, quoad
carnem, Rom. 1. v. 3. qualis etiam agnitus
fuit à muliere Cananeâ, clamante: Domine
Fili David, miferere mei, Matth. 15. v. 22. à
cæco fecus viam vociferante: Iefu, Fili
David, miferere mei, Luc. 18. v. 38. Pharifæi
interrogati, quid de ipfo sentirent, & cujus
Filius effet? refpondebant, Davidis, Matt.
22. v. 42. Turbæ item, quæ præcedebant,
& fequebantur, in ingreffu ejus, clamabant,
dicentes: Hofanna filio David, Matth. 21.
verf. 9.

Hoc mirabiliter ita à Deo procuratum
eft, Stirps Davidis tum valde præcifâ erat.
Herodes præcipuos ex illa trucidari juffe-
rat, quod vero reliquum, id inftar rugurii
erat, qualia funt in vineis, & inftar rugurio-
li in quo pernoctant in cucumerariis hor-
tis, Efa. 1. v. 8. Nemo ex hæc familiâ Regem
amplius proditurum fperaffet: verum cum
omnia ferè desperata effent, Deus præcla-
rum germen, ex arida ftirpe Ifai propullu-
lati faciebat, quod erat Meffias, cui quidem
non fpecies & decor, ut ipfo quilibet de-
lectari potuerit, Efa. 53. v. 2. fed quotquot
repperunt eum, dedit potestatem filios
Dei fieri, Ioh. 1. v. 12. & fic mirabile fecit

con-

confilium, & magnificavit fapientiam, Ela. 28. v. ult.

Sic Matrem quod concernit, nec in illâ aberravit Chriftus, fed vere illa virgo, dicere potuit: Virum non novi, Luc. 1. v. 34. idque ideo factum, Auguftino dicente: *Ut careret peccato, qui venerat, ut tolleretur peccatum.*

Non igitur dubitemus, quin Meflias noster, quem colimus & adoramus, verus Meflias fit, quem Deus mittendum promifit, adeoque cum Andrea dicere poffumus: Invenimus Mefliam, Joh. 1. v. 41.

2. *Ex latro Angeli nuncio.* Sic enim ait ille ad Pastores Bethlehemitico: Nolite timere, ecce! annuncio vobis gaudium magnum.

Filii hujus feculi & ipfi gaudium suum habent, hinc *in divitiis*, ut dives ille rusticus, Luc. 12. v. 19. Ille *in deliciis*, ut dives epulo, qui induebatur purpurâ & byffo, & epulabatur quotidie splendide, Luc. 16. v. 19. Ille *in gloria nominis*. Internum eorum, domos suas in æternum, & tabernacula sua à generatione in generationem, & celebria reddunt nomina sua super terram, Pfal. 49. v. 12. Verum hoc gaudium transitorium est. Transit enim mundus, & concupifcentia ejus, 1. Joh. 2. v. 17.

Cum olim in summâ annonæ caritate Samariæ, castra Benhadad Regis Syriæ omni abundantia instructa, à Syris derelicta invenirent quatuor leprosi, dicebant illi: Hæc dies boni nuntii est. Si tacuerimus, & expectaverimus, usque mane, inveniet nos iniquitas, 2. Reg. 7. v. 9.

Verum hodiernum nuncium, quod Angelus cœlitus affert, multo melius est, per Christum enim, qui ex Mariâ virgine Beth-

lehem in obscuro stabulo natus est, à spiritualibus hostibus nostris & aternâ fame redempti sumus, utpote qui in mundum venit, ut vitam & abundantiam habeamus, Joh. 10. v. 11.

Quanto majus itaque hoc benefici um: tanto magis causam lætandi habemus. Beatus populus, qui scit jubilationem, Pfal. 89. v. 16. Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in eâ, Pfal. 118. v. 24. 25.

3. *Ex universali merito.* Ecce, ait Angelus, evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. Hic nemo prorsus exclusus est: Chriftus est Salvator omnium hominum, maxime vero fidelium, 1. Tim. 4. v. 10.

Hoc solatium limitari nequit, ut diceres, per voculam omnium non singulos generum, sed genera singulorum intelligi. Neutiquam: utrumque potius complectitur. Chriftus omnibus hominibus natus est: Sicut per unius delictum in omnes homines condemnatio venit, sic & per unius justitiam in omnes homines justificatio vitæ, Rom. 5. v. 18. Natus quoque est generibus singulorum, Judæis & Græcis, viris & mulieribus, non enim personarum acceptor est Deus, Act. 10. v. 34. 35.

Quando igitur Satanas his cogitationibus infestat nos, Chriftum nihil ad nos attingere, venisse eum tantum in mundum propter electos & c. non absterreamur hæc tentatione: sed recordemur verborum, quæ Angelus Domini hic, Chrifto nato publice proclamat, nosque vera fide includemus iis. Quod enim omnibus factum, ab eo nemo exclusus est, nisi qui incredulitate sua hac gratia privat se. *Exul-*

tate omnes Chriftiani ! exclamat Auguftinus: *Natalis eſt Chrifti. Exultate ſervi, Natalis eſt Domini, Exultate liberi, Natalis eſt liberantis.* Quodſi igitur quis damnatur, non ideo damnatur, quod à Chriſto non redemptus eſſet: ſed quia non credit in nomen unigeniti Filii Dei, Joh. 3. v. 18.

De Secundo.

Restat *Cautela*, quæ tres complectitur Regulas, quarum

1. *Adverſitatem tolera.* Joſeph & Maria ad egeſtatis terminos redacti erant, attamen id æquo animo tolerant, & deſcripti, ad cenſum, haud inviti comparent, ut particulam ſuam exſolvant.

Nos exemplo eorum inſtructi, non modo in genere crucem, quæ nobis à Deo imponitur, patienter feramus, cum Micha dicentes: *iram Domini portabo, c. 7. v. 9.* ſed & in ſpecie, ratione paupertatis ne deſperemus, probe perpendentes: quod bona & mala, vita & mors, paupertas & divitiæ à Deo ſint, Sir. 11. v. 14.

Pauperes magnam prærogativam præ divitiis habent.

1. Enim placide dormiunt: ubi ex adverſo vigilia divitiarum tabefacit carnes, & cogitatus illius aufert ſomnum, Sir. 31. v. 1.

2. Tutò peregrinari & iter facere poſſent, prædones non pertimeſcentes.

-- Cantat vacuus coram latrone viator,

inquit Juvenalis.

Cum Nebucadnezar Hieroſolymam poſt trinam obſidionem caperet, Rex Juda Sedecias cum Principibus & Purpuratis

captivus abducebatur, pauperes vero populi relinquebantur in regione, Jer. 52. v. 10. ſeqq. Ita fieri amar tempore belli, ibi pauperes non habent, quod magnopere pertimeſcant, ubi enim nihil eſt, Cæſaris & Suecorum jurisdictio ceſſat. Qui vero opibus inſtructus eſt, undiquaque oppugnatur. Sicut malus, ſive pirus, quæ malis aut piris redundat, hinc inde ſuſtibus & lapidibus impetitur: quæ vero fructibus deſtituitur, nullo modo læditur.

3. Quoque ex experientia diſcunt:

-- quam parvo licet producere vitam,

Et quantum natura petat.

Ut Poëta Lucanus canit,

Socrates aliquando forum perambulans cum multa ibi venum proſtare cerneret, dicebat ſecum: O quam multis ego non indigeo! Hac quoque in parte egeni opulentos antecellunt, quod abundante ſupelleſtile, aliisque rebus, quibus divites luxuriantur, non indigeant, ſed quando aquam & panem, & veſtimentum & domum habent, quo tegete poſſunt, quorum nos pudet, contenti ſunt, Sir. 29. v. 28. idque magnus queſtus eſt, 1. Tim. 6. v. 6.

4. Deo quoque commodius ſerviunt, nec tot impedimenta habent, ut divites, qui à ſollicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur, & non referunt fructum, Luc. 8. v. 14.

5. Majori quoque cum animoſitate mûdo valedicere poſſunt. Divites cor divitiis appoſuerunt, Pſal. 62. v. 11. & quando mors eos eſt avocatura, moleſte ferunt, quod ex divitiis nihil ſecum auferre poſſunt, Pſal. 49. v. 18. hoc ipſo vero devotio

eorum

eorum suffocatur, ut non, prout decet, ad mortem fe præparét: Quicunque enim terrena fapit, & aurum putat robur fuum, dicitque obryzo, fiducia mea, Job. 31. v. 24. idolorum fervus eft, non habens hæreditatem in Regno Chrifti & Dei, Eph. 5. v. 5. Hoc ipfum vero inopi metuendum non eft, fed cum Jobo dicere valet: Nudus egressus fum de utero matris meæ, Job. 1. v. 21. novit enim, quod in cælo veras divitias nunquam interituras inventurus fit: ideo multo facilius, quæ retro funt oblivifcitur, ad ea vero quæ funt priora extendit feipsum ad fcopum perfequens, ad bravium æternæ vocationis Dei, in Chrifto Jefu, Phil. 3. v. 14.

Quomodocunque igitur Deus agat vobifcum, boni confultite. Divitiæ fi creſcant, nolite cor apponere Pſal. 62. v. 11. quod fi pauperies vos premit, animum ne deſpondeatis: Elegit enim Deus pauperes in hoc mundo, divites in fide, Jac. 2. v. 5.

2. *Diligenter vigila.* De Paſtoribus Bethlehemiticis dicitur: quod nocte vigilaverint excubantes excubias, ſuper gregem ſuum. His Paſtoribus Dominus omnium primis nativitatem ſuam manifeſtat, ut indicet, ſe eſſe verum Paſtorem, & Epifcopum animarum noſtrarum, 1. Petr. 2. v. ult. qui diligat omnes, qui in functione ſua aſſidui ſint: Mundus enim eſt, cujus rectum eſt opus, Prov. 21. v. 8.

In Papatu religioſi in cænobiis ſibi magnam ſanctimoniam vendicant: ſed ſi rem penitus inſpiciamus, sæpe ſimplex aliquis Mechanicus, aut famulus, qui in vocatione ſua fidelis eſt, & Deum timet, iis palmam præripit, majorique fruitur ſolatio

quam qui meriti opinione turgidi in cellas ſe abdunt, & Chriftum cum juſtitia ſua dimittunt.

Anthonii Eremitæ exemplum, quomodo in ſanctimonia ſutori Alexandrino, ut vitam ſeveram duxerit comparatus ſit, ex *Historia Eccleſiaſtica* notum eſt. Quilibet proinde, quæ muneris ſui ſunt, fideliter peragat, nec deſperet in vocatione ſua: Viſſimis enim in terris, quando pii & ſeduli in functione ſua ſunt, Chriftus vel maxime ad eſſe vult, utpote, qui elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, Jacob. 2. v. 5.

Quamvis itaque pauperimus & abjectiſſimus in mundo ſis, non te tamen Jeſus recens natus deſpiciet: ſed præſidio atque tutela ejus ſemper gaudebis, cuſtos enim Iſraëlis nec dormit, neque dormitat, Pſal. 121. v. 4. tum & virtute dexteræ pollet, ut poſſit te adverſus lupum infernalem & omnes hoſtes tuos defendere. Ipſe ſiquidem ait: Oves meæ vocem meam audiunt, & cognoſco eas, Joh. 10. v. 27. ſeqq.

3. *Præſepe viſita.* Hic Angelum Domini Paſtores Bethlehem ablegare audimus, quibus & ſignum ſuppeditat, quo infantem dignoſcant, nimirum, inventuros illos eum pannis involutum, & poſitum in præſepio.

In Papatu sæpe multæ impenſæ itineri impenduntur, in Palæſtinam, quam curioſi adeunt, ut oppidum Chrifti natalitium, cum præſepi contemplantur, in quo ille tempore nativitatis requieverit.

Verum noſ hoc itinere moleſto, & periculi pleno, ſuperſedere poſſumus, & nihilominus cum Paſtoribus Bethlehem adire: non pedibus, ſed moribus, non corpore, ſed

f

fide

fide, quando nempe præſepe Chrifti in-
tuemur,

1. *Corporaliter*, ut in Domini domo ſe-
dulo convenientes devote perpendamus,
quam profunde ſe exinaniverit Filius Dei,
noſtri cauſa, quod præſepi arcto contentus
fuerit, quem aliàs cæli cælorum non capi-
unt, 1. Reg. 8. v. 27.

2. *Spiritualiter*. Adhuc hodie enim in
præſepio verbi & Sacramentorum reclina-
t, ibi quæramus, & inveniemus eum,
juxta promiſſum, Ioh. 14. v. 23.

Eant igitur filii hujus ſæculi, ad domum
convivii, Eccl. 7. v. 3. aut ambulent in via
meretricis, Prov. 7. 8. aut in concupiſcentia
oculorum, carnis & ſuperbia vitæ dele-
ſcentur, 1. Ioh. 2. v. 16. Nos Bethlehem pro-
feſturi Filium oſculabimur, quem Deus
Pater in præſepi nobis poſuit, Pſal. 2. v. 12.

Oſculemur *ſuave os ejus*, ex quo verba
vitæ ſtillant, Ioh. 6. v. 68. *lucidos oculos*, qui-

bus occultiſſimos angulos inſpicit, Sir. 23.
v. 27. *aures benevolas*, quibus ſuſpiria & pre-
ces noſtras exaudit, Pſal. 145. v. 19. *manus
tenderas*, quibus cælum & terram fecit, Ioh.
1. v. 3. & hodie tenus omnia portat, Hebr. 1.
v. 3. *pedes ſanctos*, quibus in anguſtiis nobis
ſuccurrit, Ioh. 14. v. 18. ſternamus quoque
ipſi in cordibus noſtris *mollom lectulum, cul-
citra ſit ſpes*, quæ non confundit, Rom. 5.
v. 5. *tegumentum amor*, qui neceſſitatibus
Sanctorum communicat, Rom. 12. v. 13. E-
ſa. 58. v. 7. Matth. 25. v. 40. *pulvinar fides*,
quem oculi ejus potiſſimum reſpiciunt,
Ier. 5. v. 3. ſic divertetur apud nos, & omni-
bus cæleſtibus Theſauris beabit, ſemitæ eni-
nim ejus ſtillant pinguedinem, Pſal. 65. v.
12. quin & aliquando nos aſſumet ſibi, ut
cum omnibus Angelis & Electis, Gloria in
Excelsis Deo canamus in æternum. Hoc
votum noſtrum: Ieſu annue votis!

Amen.



DOMINICA POST NATIVITA- TEM CHRISTI.

Evangelium Luc. 2. v. 22. 32.

EXORDIUM.

R Iſum fecit mihi Deus, dixit olim
Sara, cum Iſaac Filius ei natus
eſſet: Iſmaël vero ludificabat
filium hunc ejus recens natum,
& promiſſionem Dei Abrahamo factam,
quod in ſemine ejus benedicendæ ſint om-
nes Tribus terræ, Gen. 21. v. 6. 9.

Nativitas Iſaacî typus fuit nativitatis
Chrifti, quæ commode cum hæc compara-
ri poteſt:

1. *Ratione promiſſionis*. Abraham & uxor
ejus Sara ambo ſenes provectæque ætatis
erant, ut naturaliter liberos progignere non
poſſent, attamen Deus illis filium pro-

mit-